
5

ASCANII
S· R· E· CARD·
COLVMNAE
EPISCOPI PRAENESTINI
SENTENTIA
CONTRA REIPVB. VENETÆ EPISCOPOS.
SS· DD· N· PAVLI PP· V·
Interdicto non obtemperantes.





ROMAE, MDCVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

ASCANII CARDINALIS COLVMNAE

Contra Reipublicæ Venetæ Episcopos Sententia.

IVSSIT mihi Sanctitas Vestra, quid contra Reip. Venetæ Episcopos ecclesiastico interdicto non obtemperantes agẽdum esset, excogitarem; & quæ mihi hac in re subesset sententia, Sanctitati Vestræ aperirem. Quoniam vero ab alijs, qui hanc Reip. Venetæ causam pertractarunt, multa sunt & piè, & fusè dicta; ijs consultò omissis iniuncti mihi oneris partes erunt, & præcipuè Cardinalem Episcopum Prænestinum nunc declaratum, præclarè me egisse putabo; quæ tantùm ad Episcopos spectant, quam maxima possum industria, & Christiana veritate declarare. Eo libentiùs quòd viuendi leges ex Sanctorum decretis, ex Patrum regulis depromptas mihi cõtra me præscribere, vtiliùs futurum sit; quam quæ cæteri singula materiæ huius capita, vel similia persequentes optimè scripserunt, longiori hic disputatione iterata referre.

Bonorum omnium largitor Deus pro sua in nos clementia efficiet, vt de metu, vita, & morte dicturus, ea dicendo persequar; quibus proposita nobis euangelica viuendi præcepta vita, & moribus exprimentes, & rectè Episcopali nostro fungentes munere, præmia immortalitatis amplissima consequamur. Neque enim aliud quiuis sexus, ordo, gens, natio, ætas omni tempore gloriosũ putauit, quàm famæ æternitati studere; in eaq; assequẽda omnia discrimina, & vitæ ipsius pericula subeundo, fortiter elaborare. Omnes quidem gloriæ studio trahimur, & ad illam propensio nostris visceribus penitùs impressa radicitus inhæret, q̃ nec ætate Gloriæ studiũ omnibus insitũ.

 deficit,

Simonid. apud Plut. in lib. An senex debeat Reip. præesse. Cic. pro Arch.

deficit, nec temporis, vt ait ille, progresſione ſeneſcit. Immortalis ſcilicet hic animus ad immortalia fertur; & quædam in illo virtus inſidet, quæ noctes, dieſq; ad gloriā quibuſdam quaſi ſtimulis excitatur, moneturq; non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis, ſed cum omni poſteritate adæquandam. Eÿcienda è forti pectore mollities, excutienda ſocordia, procul omnis repellendus metus. In magnis rebus magna eſt quæ plures ab earum quaſi poſſesſione arcet conſtituta difficultas; & quo quidquè præſtantius, eò laborioſius, ac difficilius. Quo loco poſita gloria eſt, eum maximis difficultatibus natura muniuit, vt ad illum aditum pauci, nec niſi fortisſimi conſequātur. Præclarè Claudianus:

Ardua ad eam via.

Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat fauos,
Si fronti caueat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

Claudius Marcellus animi magnitudine celebris, ædes Virtuti, & Honori erecturus inuicem coniunxit; nullo vt interpoſito ſpatio diuiſæ ſubſiſterent. Nouerat vir fortisſimus alteram ab altera ſciungi nunquàm poſſe, nec niſi vna virtutis via ad veram, ſolidamq; honoris gloriam perueniri; nec quemquā virtute præditum reperiri, cui non aliquando debitum honoris præmium ſolueretur. Enimuerò magnis laboribus, vt aliquid comparetur, non facilè quiſquam à ſeipſo impetrat: amat enim hominis natura moderatam quietem, eaq; alitur, & creſcit; contētiones, quibus frangitur, ac minuitur, recuſat. Fortis animi eſt, rebus difficillimis ſtudere; nec metu, nec labore, nec morte ab eius adeptione deterreri. Pauidos & conſcientia vecordes intrat metus, cuius vt Claudianus cecinit:

Tac.

Diſſoluunt animi magno ſe angore, metuquè.

Vir animi robore, ac virtute præſtans, ſi ita res feret, morti obuius fiet: quam ſibi nec turpem, nec miſeram accidere poſſe nouit. Nàm vt eſt valdè difficile rectè mori, qui malè vixerit; ſic fieri non poteſt, vt eius mors ſit turpis & miſera, cuius vita

pulchra

pulchra fuerit, & beata. Hinc priscæ comœdiæ auctor. Plautus.

Qui per virtutem peritat, non pol interit.

Hinc illud insigne Maronis elogium,

Pulchram properant per vulnera mortem.

At eloquentiæ Romanæ Princeps, labores, inquit, pericula, dolores, constantissimus quisque suscipiat potiùs, quàm vllam officij sui partem deserat; nec vllo casu homini forti continget, vt huius vlla vel intermissio fiat. An verò præclarissima illa superioris memoriæ lumina Scipiones, Pompeij, Cæsares, Alexādri tantam essent nominis famam consequuti; si labores, rerum difficultates, incommoda, si pericula, si mortem extimuissent? Nihil illi prorsus nisi obitum, nihil nisi nominis famam cogitabant, nihil nisi immortalitatem meditabantur. Agesilaum interrogatum quonàm pacto tātam sibi gloriæ magnitudinem peperisset, respondisse ferunt, contemnendo mortē. Fortem enim virum decet habere in procinctu mortem, quæ propter incertos casus quotidiè imminet, & propter vitæ breuitatem numquàm longè potest abesse. *Te appello puerilis ætatis splendor ethnice puer non tàm virtutis, quā illustre religionis exemplar: qui dùm Alexandro sacrificanti de more cum turibulo astares, carbone in brachium delapso sic vrereris, vt adusti corporis odore, turis suauitas, nō animus vinceretur, nec vllus abs te lacrymis expressus dolor, nec inde discessum, donec sacro finis imponeretur. Obuersantur omniū animis Curtius, Mutius, Codrus, Leonides, Decius, mortī se vltrò obijcientes, vt eorum nomen immortalitati consecratum nulla dies extingueret, nulla obscuraret obliuio. vita enim hæc, quæ corpore continetur, præ laude, & gloria illis contemptui habita; ea ardentiùs exquisita,* quæ viget memoria sæculorum omnium, quam posteritas alit, quā ipsa æternitas semper intuetur. *Testes sunt omnes Licurgeæ disciplinæ alumni, fortitudinis & cōstantiæ viuida simulachra; quibus ad aràm Dianæ sæpè spiritum potius, quàm suspirium emittere,* ———————— virtus

Suasit & hortatrix animosi gloria læti.

Margin notes: 1. de fini. — Mortis timor ethnicorū exēplo damnatus. — Cic. Tusc. quæst. l. 1. — Val. max. lib. 3. c. 3. — Cic. pro Marc. — Plut. in Lycur. — Stat.

Mors christianorum exẽplo cõtemnẽda.

Quod si erroris & infidelitatis tenebris obducti homines, quibus nondũ enituerat lux diuinæ oborta veritatis; hoc modo fuerunt animati, vt nominis immortalitatem consecuturi, mortem nihili facerent: nos Christi optimi maximi milites ipsius morte morti erepti, vita immortali restituti, quibus diuinæ naturæ splendor affulsit; quo tandem animo esse debemus? Religionis nostræ fundamenta præclara in vna mortalitate constituit Deus, vt per illam immortalitate potiamur. Nec deerat immensæ illius potentiæ modus, & ratio, qua hominum genus humanam indutus naturam non moriturus redimeret. Sed cum mortalitate; ardua quidem, sed gloriosa via, ad immortalitatem statueret incedendum; morte nobis vitam peperit, & per eam in æternitatis possessione collocauit. Infantium sanguine imbecillis eadẽ hæc nostra fulta mortalitas, eorumq; mors præclarum Christianæ religionis extitit initium. Quid non pueri, quid non puellæ in tenera ætate fortiter pertulere? Furiosas Tyrannorum minas, blanditias, vngues ferreos, flammarum globos, liquescẽs plumbum, fluentem picem, & alia crudelissima genera pœnarum, delitias, ludum, atq; iocum esse arbitrabantur: & tanquã generosæ aquilæ mori citiùs decreuere, quam sibi præda illa cœlestis vitæ, quasi manibus comprensa eriperetur. Adultus iuuenum vigor, inermis quidem ferro, sed Christi fide, ac religione munitus, obiecit se Tyrannorum feritati; patuit carnificum furori; in medias flammas penetrauit Christianæ veritati, vitæ ipsius interitu, gloriosissimum testimonium præbiturus. Emicat in cæteris Stephanus, Laurentius, Sebastianus, Polycarpus, Clemens, Cyprianus. Effulget in Virginum choro Catherina, Agatha, Cecilia, Agnes, Margarita tantò maioribus efferendæ laudibus, quãtò illis vincere fuit, & sexus fragilitate, & pueritiæ imbecillitate difficilius. Voluptatum lenocinia superata, blanditiæ reiectæ, commoda, otium, quies contempta; non inediæ saturitas, non nuditati ornatus, non flagra tropheis, non fasces cruci, non carceri libertas, non graueolentiæ suauitas præposita: paupertati pretiosa supellex, infirmitati salus, gloria iniuriæ, morti demùm vita posthabita:

posthabita: vt ex angusto huius ærumnosæ vitæ curriculo, in illa æternitatis immensa spatia educti in sempiternum summa dulcedinis iucunditate cōquiescerent. In hoc certamine filij sequuti parentes, coniuges vxores, discipuli magistros, serui dominos; nec certatum, quo pacto alter ab altero morti subductus viueret; sed quis prior in flammas, in hostes irrumperet, gladio colla submitteret, carnificum manibus obiectus mortem prior oppeteret. An quemquàm fugit, frigida senescentis ac deuexæ ætatis robora, spiritus senio confectos, mortalitatis via ad hanc gloriam incredibili animi magnitudine, & iuuenili ardore contendisse? Quò crudeliora minabatur Tyrannus, tortor tormenta inferebat, eo cuiusquè animus existebat ad perferendum alacrior, ad pugnandum ardentior, ad vincendum gloriosior. Quid plura? Omnis sexus, omnis ætas, natio omnis ab ipso mundi nascentis exordio vitam hanc non minus breui circumscriptam spatio, quàm ærumnarum multitudine depressam, strenuè laborando, mortem fortiter obeundo, bonis omnibus cumulari, ipsa demùm immortalitate donari posse sperauit. Quibus vero artibus studebant Tyranni, vt Martyrum nomen obliuione contritum æterna taciturnitate delitesceret: ijsdem summa prouidentia ab admirabili rerum omnium moderatore Deo, rebus variè dispositis præclarissimo ac sempiterno suæ claritatis splendore è tenebris erutum, & omnium gentium prædicatione, & præcelsæ gloriæ, ac famæ immortalitate donatur. Cæsaraugustæ Datianus Præfectus in Christianos barbara sæuiens immanitate, nè illorū cineres superstites piè à fidelibus colerētur; omnes acerbissimè trucidatos, vnà cum improborum hominum, quos ob crimina iugularat, corporibus, aceruatim combussit. Sed ò summa Dei in suis efferendis virtus, & sapientia! Pluuia Cœlo exoritur, quæ terrā interluens tetris facinorosorū relictis, Martyrum cineres quibusdam particulis conglobatos, veluti frumenti candidam massam in vnum congessit. Atquè à Deo illorum nominibus immortalitati cōsecratis, gloriosè effectum, vt dùm viuat æterna Martyrum posteris relicta gloria; æternum quoquè viuat immanis Tyranno-

Vt martyrū gloria ita tyrannorum infamia Dei dispositione immortalis.

Tyrannorum crudelitatis infamia. Tua sunt hæc, ô Sol iustitiæ præclarissime munera benignitatis amplissima. Vt enim solis huius tantùmodo partes sunt; quæ sua cuiquè rei forma sit, quæ species, & color ostendere: Sed cum interiturus exoritur, res illum subsequuta, & apparent interdum, & delitescunt. Ita tu æterne Deus, vt æternitatem consequamur, quid optimus quisq; promereatur, quæ virtus sit & gloria, sempiterno tuo splendore distinguis: cum verò nunquam recessurus accedas; si quis tuo lumine illustratus effulgeat, illius gloria, nec obruetur tenebris, nec temporum progressione decrescet. Et poterunt nostra tẽpestate Venetorum Præsules clarissimarum harum gentium custodes, huius fidei magistri, illius Ecclesiæ Episcopi, ne munere fungantur suo, difficultate aliqua infirmari, metu mortis affligi, extremo rerum discrimine deterreri? Quorum præ cæteris omnibus mortalibus eniteat necesse est in periculis fortitudo, in bonorum iactura altitudo animi, in laboribus patientia, in supplicijs omnibus & cruciatibus inuicta constantia. Armanda ne erunt Venetorum Præsulum pectora ferro? Episcopales ne ethnicorum ardoris exemplo excitandi spiritus? Laudabimus potiùs vestrorum militũ manus, quàm venerabimur sacratas vestras Episcoporum dexteras? efferendi ne vestri causa adeo timores, vt fortem virum aliquando ab infamia excusent? tanti ne vnquàm ab vllo vita facienda, vt gloriosæ morti præferatur? mortem adeo timebimus, cùm malorum omnium finem sciamus, vt quod naturæ debitum, dedecori obnoxium reddatur? adeò ne obscurum, quin omnibus pateat, mortem omnibus hominibus ex natura æqualem, infamia apud posteros, vel gloria distingui? Honesta mors fœlici vita beatior.

Episcoporum timẽtium correctio.

Hortatio ad Episc. munere fũgãtur suo. Parab.c.3.

Disciplinam Domini ne abijciant *Episcopi*. Probata virtus corripit insipiẽtes, peruersæ cogitationes separãt à Deo. *Non enim eis delitiæ, sed labor; non dignitas, sed opus optandum proponitur. Quod causa fuit, cur laudaretur olim, teste Anselmo, vt bonum opus, Episcopatum quærere. Per illum enim quasi ad martyrium via munitur, neq; dubium erat, sin minus ad mortem,*

mortem, ad grauiora saltem tormenta veniri. Nam non modo diuinis legibus adhærere satis est, *si Cyrillo in Isaiam credimus*: nec à præstandi, ac perficiendi officio discedere, sed oportet sacrorum iudiciorum custodes apparere, & omni bonorum genere excellere. *Immò, vt optimè Anselmus*, Nihil prodest conscientia virtutum frui, nì & creditum sibi populũ possit instruere, & eos qui contradicunt arguere, quorũ rabies baculo pastoris deterrenda est. *In corrigẽdis vitijs piè sæuiat; iudicium sine ira teneat, in fouendis virtutibus subditorum animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens. Alioquin in id, quod canones minantur, incident,* Si ea aiunt, quibus vehementer Deus offenditur, insequi Episcopi, & vlcisci differant, ad vlciscendum vtiq; prouocant patientiã diuinitatis. *Non enim ex Bernardo,* licet ei tacere, cui ex officio incumbit vitia redarguere. *Et Innocentius,* sicut impium iudico manum negare conuersis, ita durum arbitror, conuenientiam præbere peccantibus: & sicut malum est non recipere corrigentem, ita tolerare errantẽ. *Quos grauis illa Pauli & metuenda ferit sentẽtia.* Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

cap. 56.

Ad Eugenium.

An cõcil. meleu.

cap. 5. ad Thim.

Neque vero quemquam ita rerum diuinarum imperitum esse putem, qui nesciat Christianos omnes summi Pontificis præcepto non obsequentes, nec censuras ecclesiasticas seruãtes; siuè id fiat in contemptum clauium, siuè ad excusandam hæresim, aut schisma, siue in simplicem contemptum; grauissimè errare, & peccare mortaliter. Episcopos verò, cum id quoties, & vbi opus erit, se præstituros iuramenti religione obstrinxerint, si deficiant, tanquàm illius violatores, & lethalis peccati & sacrilegij reatui esse obnoxios. Quamuis enim timor iacturæ bonorum temporaliũ censeatur interdum iustus cadens in cõstantem virum, ex [a] *Panormitano,* [b] *Syluestro asserentibus pecuniam esse vitam hominis; cuius iactura, vincula & verbera, quæ aliquando excusant, nonnumquàm minora censentur. Vbi tamen lethale peccatum,*

Quam grauiter peccent Episc. non obedientis Sũm. Põt.

in c. ego d iure iur.

a in c. Abbas de his quæ vi & met.

b verb. metus q. 3.

 vbi

vbi sacrilegium patratur, nullus timor, vel mortis & verberũ, nedùm iactura bonorum temporalium Christianum neminem ab obedientia Pontifici præstanda, & censurarum liberat obseruantia. Peccans enim mortaliter nullius potest metus excusatione defendi; ex omnium doctorum sententia asserentium subeundam mortem, priùs quàm in Deum lætaliter labi; nec excusare metum, qui præsertim impediat, quo minus subditi id quod à superiore præcipitur, exequantur: Id sensit diuus [c] *Thomas,* [d] *Durãdus,* [e] *Ricardus,* [f] *Caietanus,* [g] *Petrus Soto,* [h] *Gregorius de Valentia,* [i] *Adrianus,* [K] *Dominicus Soto,* [l] *Syluester,* [m] *Alexander Alensis,* [n] *Ostiensis, Panormitanus, Io: Andreas,* [o] *clarissime omnium Nauarrus.* A timore, *inquit,* excusatur, modo non participet in peccato mortali, neque cum negatione saltem tacita fidei Catholicæ, quæ resultaret ex cõmunicatione in cõtemptum & vilipẽdium excõmunicationis; quià oportet potius mori, quàm sic communicare: cùm magis teneatur defendere articulum fidei de auctoritate & potentia Ecclesiæ ferẽdi excommunicationem, & illius valorem; quàm vitam corporalem. [p] *Hinc diuus Thomas,* vbi, *inquit,* subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum grege deserere, neq; propter aliquod commodũ temporale, neq; etiam propter aliquod personale periculum imminens; cũm bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. *Multò verò ante diuum Thomam Nicolaus PP.* Nàm si perniciosum est, proretam in tranquilitate nauim deserere, quanto magis in fluctibus. *Et elegantissimè Cyprianus ad Cornelium,* manere apud nos debet fidei robur immobile; Et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atq; impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obsistere. Nec interest vnde Episcopo aut terror, aut periculum veniat, qui terroribus, ac periculis viuit obnoxius, & fit de ipsis gloriosior. immò quando persequutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probãtur milites Dei, tunc martyribus patent cœli. *Gregor. verò Nazian.*

c quodl. 11. ar. q. 4. sen. d. 18 d. 2. ar. 4. q. 1. ad 1.
d q. 5. ad 3. dub. 4.
e ar. 6. q. 2. ad 1.
f 1. 2. q. 96. ar. 4. in 2. 2. q. 125.
g lec. 3. de excom.
h dis. 7. q. 5. de leg. hum.
i quodl. 3. ar. 2. ad 2. rationem.
K 1. d iust. & iur. q. 6. ar. 4.
l verbo metus nu. 6.
m in 4. p. mem. 6. ar. 2. & q. 25. mem. 1. ar. 6. §. 2.
n in c. sacris.
o c. 27. manu.
p 2. 2. q. 185. ar. 5.
Epis. 55. & 56.

coràm tot Episcopis exclamat, Nonnè persecutionem passi sumus? nonnè contumelijs omnibus affecti? nonnè Ecclesijs, domibus, & quod acerbissimum est, solitudinis ipsis pulsi sumus? nonnè furentem populũ tulimus, & contumeliosos præfectos? quid postea? fortiores extitimus. *Suspicit Hieronymus Pauli præstantiam,* Videte, *inquit,* Apostolum quantæ sit charitatis in Christũ, vt pro illo cupiat mori & solus perire, dummodo omne in illum credat hominũ genus. Vult ergo Apostolus perire in carne, vt alij saluentur in spiritu, suum sanguinem fundere, vt multorum animæ conseruentur. *Nàm quid ego de diuo Ambrosio dicam?* Sanè si me, *inquit,* vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mẽtem; paratum esse, vt si tyrannus faceret, quod solet esse regię potestatis, ego subirem quod Sacerdotis esse consueuit. *Nec ita multò post,* scio fratres vulnera hæc, quæ pro Christo excipimus, non esse vulnera, quibus vita amittitur, sed propagatur; non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur.

Oration. 12. in cõc.

Epist. 151 q. 9.

Tom. 5. in cõc. de basil. nõ tradendis hæreticis.

Tantò magis, quia si sacris generalibus Concilijs Viennensi, & Triden. & Summi Pontificis Pauli Papæ hoc nomine Quinti literis obsequẽtes, interdictum vt iubetur in suis cathedralibus Ecclesijs diuulgassent; & ipsi seruantes, ab alijs seruandum curassent; terrarum orbe constaret ipsos Reipublicæ Venetæ Præsides errasse. Nunc verò Pontificis neglecto Imperio significare videntur omnibus, ipsum potiùs hac in re, quàm Venetos falli. Dicam ampliùs cum ita comparatum sit, vt in eorum qui imperant vitam, ij, qui parent, veluti in speculum intuentes, illorum dicta & facta imitatione conentur exprimere; animaduertentes subditi à suis spiritualibus dominis censuras Pontificis contemptui haberi, quibus & promulgandæ, & plurimi faciendæ erant; nec ipsi illis obsequuntur & parent. Quid? quàm graue illud est, quo tempore à Romano Pontifice monitis, ecclesiasticum erat illis promulgandum interdictum; eodem tempore à Leonardo Duce literas accipientes; quibus præcipiebatur, vt nulla re

In Clem. 1. de sententia excom.

Sess. 25. de regular. c. 12.

Graue Episcoporum scandalũ.

 immu-

immutata, rei diuinæ operam darent; neglecto Pontificio præcepto, iussis Leonardi potiùs videntur obedisse. Perinde ac si non Romanus Pontifex, sed Leonardus eorum caput existeret. Quod
Ep. 65. *& initium schismatis esse, vt Cypriano videtur, & illud redolere; vtinam tam obscurum esset, vt nisi à me diceretur, à nemine posset intelligi. Audiant Deum, & perrhorrescant loquentem in*
cap. 56. *Isaia,* Speculatores eius omnes cœci, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amãtes somnia; ipsi Pa-
cap. 10. stores ignorauerunt intelligentiam. *Et in Hieremia,* Tabernaculum meum vastatum est, funiculi mei disrupti sunt; filij
In Act. Apost. mei exierunt à me, & non subsistunt, quia stulte egerunt Pastores. *Obliti quod ex Paulo Lucas eorum muneris esse ostendit;* Non enim subterfugi quò minus annuntiarem omne consilium Dei vobis, attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. *Nihili facientes admonitionem constitutionũ*
cap. 12. *Apostolicarum.* His rebus non attendens incõsideratè parcit, cui pœna debetur.

Episcoporum error à patribus repræhensis. *Maximum sanè malum deplorandum omnibus, grauissimis quibusuis arguendum pœnis. Qui enim cæteris perditionis causa fuit, æquum est grauiora patiatur, quàm qui per illũ subuersi sunt. Neque enim peccare tantùm in se perditionis habet, quàm quod reliqui ad peccandum inducuntur. Arguit eos grauissimè*
Ep. 85. *Sanctissimus Leo:* Non est id, *ait*, consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim Præsidentium salus est subditorum, & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma disciplinæ. *Grauiùs alibi,* quale ergo sit iudicium Dei subiturus, qui tot Ecclesijs, tot Sacerdotibus scandalum inferre non metuit, & qui alios exẽplò
Homil. 17. in Luc. afflixit, cęteros ad consensum sceleris deprauauit. *Nec minùs acriter in eos inuehitur Gregorius.* Nullũ, *inquit*, puto ab alijs maius præiudicium tolerat Deus, quàm quando eos, quos ad aliorum correptionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, & susceptæ benedictionis ministerium vertant ad am-

bitionis argumentum. *Augustinus verò,* Non afferamus, *inquit,* stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc graue est, hoc leue, sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sacris, tanquàm de thesauris dominicis; & in illa quid sit grauius, appendamus: *quid in libro de verbis Domini:* Si neglexerit, *inquit,* corrigere delinquentem, multò peior factus est eo qui deliquit. *At Hieronymus quasi hæc mala futura prospexerit,* Quomodo, *inquit,* potest Præsul Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit, cùm ad hoc vos Deus in sublimitate posuit, vt tanto maiori Ecclesiæ suæ vtilitate viuatis, quãto in ea eminentiore auctoritate præestis; alioquin deponet ille pater familias vos de sede, & exaltabit humiles. Antistitis enim error multos inuoluit, & tantis obest quantis ipse præest; & si malum est gregem relinquere, pessimum videtur præceptis summi Pastoris non obedire. *Sileo hic Chrysostomos, Nazianzenos, Ambrosios, & alios quamplures, vt ecclesiasticam libertatem tuerentur, & Sedi Apostolicæ obedirent, tyrannis & Imperatoribus obsistentes. Quis non admiretur Babilæ Episcopi Antiocheni, animi, & in tuenda ecclesiastica immunitate, & in cõtemnenda morte, præstantiam? Romanus Imperator illic degẽs Regium iuuenem impiè necandum iusserat: tanto commisso scelere, & nefaria cæde sequuta, euocat militum cohortes, se vt comitentur, imperat, Dei sacras ædes ingressurum. Quid hic Sanctissimum Antistitem effecisse creditis? magnifecisse bonorum omnium iacturam? Imperatoriam Maiestatem Prætorianorum militum agmine circumseptam perrhorruisse? mori, si res ferret, timuisse? ò commemorabilis fortitudo, ò prædicabilis vitæ constantia, ò plusquàm humani animi magnitudo nostris hisce temporibus imitanda! Ingredienti Imperatori obuius fit; corporis sui obiectu templi arcet ingressu; instantem, dextera regio pectori admota, eum, vt à Christianorum communione alienũ, populo vndiquè circumfuso, innumerabili spectante milite, sacris ædibus expulit, ejecit, extrusit; Cogitabat nimirum, nihil*

Bernard. Episc. 117

Exemplo sāctiss. hominũ damnatis timor Episc.

Euse. libro 7. c. 22. & seqq.

esse timendum homini diuinã causam agenti, cuius lateri Deus semper hæreret, adiumento illi contra omnia aduersa, & præsidio futurus. Intueantur diuum Thomam Cantuariensem nostri Veneti Episcopi; quam ille in turbulentis Christianæ Reipublicæ temporibus non attigit, immo quam non absoluit magno dignam præside virtutem? quantus fuit in tuenda ecclesiastica dignitate, & Sedis Apostolicæ decretis obseruandis? quam seuerus in condemnandis ijs qui illi obsisterent? in eorum contumacia insectanda, superbia comprimenda? Promulgarat Henricus Angliæ Rex, leges cũ Christianæ Reipub. bono, ac sedis Apostolicæ dignitate pugnantes; Episcopos omnes regni illius conuocauit, quibus cum leges ferendas communicaret, ijsq; vt assentirent, & precibus, &, si opus esset, minis cogeret. Obstitit ei vir sanctissimus, & ecclesiasticæ immunitatis vindex acerrimus, nec vnquàm potuit à sanctissimo suæ mentis proposito dimoueri, nec carceris, aut, mortis metu, nec diuitiarum, honorumq; maxima oblatione mutari. Maluit opibus, quibus fruebatur amplissimis, excludi; patria expelli, durum exilium, ac peregrinationem, demumq; mortem subire; quàm videri unquàm tàm impia in re ipsi Regi assensisse. Vtinàm huiusmodi exemplar imitandũ nunc sibi proponerent Venetorum Præsules; tanto maiori studio, quanto Reipub. Venetæ Dux suas leges grauiori iniuria sanciuit. Nam Hẽricus Regni sui Episcopos accersiuit, vt eorum audita sententia, quod sibi visum esset decerneret: at Dux Reipub. nulla nec Episcoporum, nec huius sanctæ Sedis habita ratione, decreta contra immunitatem ecclesiasticam temerè promulgauit. Fax & iubar præclarissimum totius Columnensis familiæ in lucem prodeat, Ioannes Cardinalis: vt Diuo Thomæ Cantuariensi ferè temporum ætate coniunctus, sic ab illustri martyrij gloria consequenda non alienus. Legatus in Syriam ab Honorio missus, cum infidelibus Dei Verbum ardentiùs prædicaret, ut eos ad Christianã fidem conuerteret; immanem barbarorum manum in se concitatam, ferro caput offerendo Romana virtute compressit. His uerbis. Vtinàm Sedis Apostolicæ Cardinalis Legati dignitatem

Plat. in vita Honorij iij. Alter sub Alex. iij. sub Honorio iij. alter.

tem amittam, vt Christi martyris nomen inueniam. *Quã animi fortitudine, multitudine sedata, plures Deo peperit fideles, quã vita aggressores inuenit. Te Rodulphe Austriace, qui familiam imperio natam non minus ad regna, quàm ad religionis nostræ continuè obeunda ministeria propagasti; ut præclarissimũ omnibus, ac præcipuè nobis exemplar existas: præterire nullo modo possum, nec debeo. Nàm imperiali pompa & comitatu relicto, venandi voluptate cõtempta; exiliens equo, presbytero diuinissimam hostiam infirmis circumferenti, vt conscenderet, iussisti. Pedes, quamuis pluuio cælo ac lutulenta via eum perhonorificè deductum, & reductũ prosequutus; quid Christianum quemlibet deceret, egregiè declarasti; ac præclarissimo tuo pietatis in sempiternũ collucente lumine monuisti omnes, ne vlla aut cõmodi, aut timoris, aut rei alterius habita ratione, ecclesiasticã præsulis personam exuant, vt profani principis induant dignitatẽ. Virtute inuicem & animi magnitudine certent; vt & vita exitu, & temporis interuallo impares; sic & pietate & fortitudine pares; Herminigildus Hispaniæ Princeps, Ludouicus Galliæ Rex: alter nè a fidelium cõmunione secederet; ac patris imperio neglecto, ut ecclesiasticis præceptis obediret; ferro vitam finiuit Martyr illustris: alter nec tubarum clangore, nec tormentorum strepitu ab humilioribus Catholicæ religionis nostræ muneribus seiunctus, mortẽ conquisiuit, confessor gloriosus. Vt ita in nostra hac obscura vitiorum nocte regio vtrorumq; sanctorum iuuenũ micante splendore omnibus eluceret, mortem cuiquè esse contemnendam, vt huius vitæ finis, una tandem æterna immortalitatis gloria cõpensetur. Sed cur aliorum Antistitum, & Principum Laicorum, ut vos incitemus, peregrina exempla exquirimus, ubi domestica uestrorum Episcoporũ præclara extant obediẽtiæ monumenta: Inciderat olim Venetijs in magnum discrimen Ecclesiæ libertas, in quam tuẽdam illius Reipublicæ Episcopi omni operâ, studioq; incumbentes in vnum coacti ante uiginti sex canones conditos, hoc vnanimes decreuere:* Itaquè quoniã nos in Ecclesia Veneta Spiritus sanctus causa ordinãdi Episcopatus cõgregauit,

prima q. 1. & c. vlt. 24. q. 1. & Greg. li. 3. dialog. cap. 21.

Cõc. tom. 1. par. 2. fol. 512.

gregauit, rectum esse credimus de regula Ecclesiastica, quæ nobis (donante domino) credita est, & de districtione cuius curam non sine culpa nostra omittemus, habita collatione, vt quæ in priorũ patrum statutis vidimus omissa, & procedente tẽpore ex nimia licentia prolabente seculari libertate proscripta, statutis saluberrimis sanciremus: *Pròh Deus immortalis, non excitabitur tàm præclaro maiorũ vestrorum exemplo Venetorum præsulum animus. An nõ ipsi quoq; de Ecclesiastica regula, quæ vobis, donante Domino, credita est, eiusq; districtione, cuius cura vestra culpa omissa est, acta temporum comparatione, collationẽ habendam curabitis? An non quæ à Senatu contra Ecclesiæ statuta nimia vestra indulgentia videtis commissa, Spiritus sancti gratia roborati, legibus cõtrarijs sancitis reuocabitis? An non debita Summo Pontifici, ac Sedi Apostolicæ obedientia; quã vos & cæteri vos imitantes denegarunt, vestrum primò obedientiũ exemplo ab alijs oĩbus restituetur? Absit vt vos hæc fortiter acturos dubitemus. Quilibet vestrum errorẽ fateatur suũ; huius Sanctæ Sedis adeat portas benignitatis (nõ enim vult mater Ecclesia mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat; non minùs culpa offenditur quàm pœnitentia placatur; obediẽtes sẽper recipit; rebelles expellit) vt deficientem Petrũ, sic flentẽ imitetur; sancitis Reipublicæ legibus obsistat; Apostolicis decretis, & Pontificis Maximi interdicto pro viribus obediat; vt quod est neglecto Apostolicæ Sedis imperio de ipsius dignitate diminutũ, eorũdem omnium vestrum in illam vnanimi obediẽtiæ, ac deuotionis obsequio compensetur. Meminerant maiores vestri supra à nobis dicta esse præcepta prudẽtiæ; Patrum regulas æterna cælestis esse decreta disciplinæ; conciliorum canones tanq; dominicas obseruandas iussiones. In hoc autem gradu dignitatis, atq; honoris tamquàm in specula constituti, animo semper in grege sibi credito seruando, tuendaq; communi salute defixi, incumbebant in eam curam; vt huic Sanctæ Sedi debita præstaretur obedientia; Ecclesiæ vigeret immunitas; parati iacturam omnium subire, vitam profundere, ut multorum salutem conseruarent.*

Veniat

Veniat vobis in mentem vos eos nunc non esse, quos ex huiusmodi parentibus natos esse deceret. & si ab auita pietate, & gloria, Deo annuente, sperandum, vt equidem in primis certissimè spero, eos esse futuros, vt nulla unquam rei alicuius ratio, nec vllus mortis metus arguat à conseruata maiorum vestrorum religione, & pietate vos esse degeneres. Quæ cum ita se habeant, Pater Beatissime, iussus à Sanctitate Vestra meam hac in re sententiã dicere, plurimas Deo gratias ago, nullam mihi; etiam mearum virium cognita imbecillitate, respondendi subesse difficultatẽ; cùm ex conciliorum decretis, & canonum regulis, ex Patrũ sententijs, ex ijs demum, quæ cæteri Summi Pontifices hac eadem in re fortiter decreuere; Sanctitati Vestræ liquidò cõstabit, quid ab Ecclesia hucusquè sancitum sit, gestumq́; fuerit. Proponatur illis, metum ægritudinẽ animi esse non virtutem, nec fortes viros; quanto minus Episcopos illius infirmitate excusari; honestã mortem in gloria vitæ præferendam; hæc omnis esse generis, sexus, nationis corroborata consensu, vt sana & prudens omnibus declarauit antiquitas. Moneãtur quàm graue scandalũ, post Christianæ religionis ortum inauditũ, patrarint; vt omnes in hoc Ecclesiastico dignitatis gradu constituti omnium consensu vna mẽte, nemine abnuente, neglectis Ecclesiæ præceptis, Reipub. iussa perfecerint. Quod si (quod Deus auertat) moniti noluerint resipiscere, & increpãtem Dominum nõ audierint, Si nolueritis disciplinam recipere, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoq; contra vos aduersus incedam, percutiã vos septies propter peccata vestra, inducamq; gladiũ super vos vltorem fęderis mei. *Nec illud extimescent,* Audite Episcopi iudicabimini propter imperitiam vestrã, & perditionem ouiũ. *Si inquam, & à Deo, & à Sanctitate Vestra ità moniti resipiscere noluerint, tamquàm à communione fidelium eiecti, ac declarati; pœnis his plectantur; quibus excommunicatos afficiendos docent* [a] *Theologi præcipue* [b] *Riccardus,* [c] *Paludanus,* [d] *Antoninus,* [e] *Soto:* [f] *ipsi Iurisperiti, vt refert* [g] *Couarruuias, &* [h] *Nauarrus. Nec absoluẽdi sunt à pœnis, quas Gregorius hoc nomine quartus declarauit & statuit,*

Authoris sententia.

in Leuit. 26.

Cõst. Apostol. l. 2. c. 22.

a in 4. dist. 18.
b art. 7. q. 1.
c ead. q.
d 3. par. tit. 24. c. 66.
e d. 22. q. 1. art. 4.

f in c. postulasti, & §. verum, alijsq; locis.

g in c. Alma mater §.7.

h c. si quãdo de resc. exc. 9. & man. c. 27. n. 21.

& statuit, Nulli fas esse ait, vel velle, vel posse trãsgredi Apostolicæ Sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestrã sequi oportet charitatẽ. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraîre præceptis, nec locũ deinceps inter Sacerdotes habeat, sed exors à Sancto fiat ministerio, nec de eius iudicio quisquã postea curam habeat, quoniam iã damnatus à Sancta & Apostolica Ecclesia, sua inobedientia, atq; præsumptione à quoquã esse non dubitetur, quia maiori excõmunicationis deiectione est abijciendus, cui Sanctę Ecclesiæ cõmissa fuerit disciplina, qui non solũ præfatæ Sãctę Ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiã alijs ne preterirẽt insinuare; sitq; alienus à diuinis, & Põtificalibus officijs, qui noluerit preceptis Apostolicis obtemperare. *Si verò diutiùs suo in errore persistant, & tanta scandali grauitate contempta Reipublicæ optimatibus fauere perseuerent: omnibus beneficijs, honoribus, dignitatibus, officijs perpetuò priuati, & ad eas inposterum consequendas indignissimi declarentur, iuxtà Bonifatiũ viij.* Iudicabimus ipsos schismaticos, & blasphemos tamq̃ hæreticos puniendos, expositis personis eorũ à fidelibus capiendis, omnibus beneficijs, officijs, dignitatibus, & prælaturis, priuantes; eosdem & reddẽtes inhabiles ad habenda, cunctis eorum bonis mobilibus, & immobilibus, iuribus, & iurisdictionibus publicatis. *Iisdem pœnis arguẽdos docet Turrecremata, & ante ipsum Cyprianus.* Quare, *inquit,* qui hæreticis & schismaticis patrocinatur, cẽsura diuina in eorũ probatur facinore, & pœnis non solùm duces, & auctores, sed etiam particeps destinari; nisi se à communione malorum separauerint; præcipiente Domino per Moysen, separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus quæ sunt in eis, ne simul pereatis in peccatis eorum. *Quod interdum ab Ecclesia actum est. Nàm Nicolaus primus Regnaldum Triuerensem, & Guntramum Coloniensem Archiepiscopali dignitate deposuit. Sed si nec spiritualium quidem bonorum, ac dignitatum depositione emendentur: à ratione*

c. 1. eo. tit. lib. 6.

lib. 4. sum. par. 1. c. 7. Epis. 6. ad Magnum l. 1.

Io: Bapt. Campoful gosus l. 6. suæ Hist.

alienum

alienum minimè puto; si auxilio brachij sæcularis pœnis corporeis puniantur: quod à pluribus Pontificibus effectum legitur, et fusè docet Pelagius Pontifex. Cum mille alia exempla, & constitutiones sint, quibus euidenter agnoscitur, vt facientes scissuras in sancta Ecclesia non solùm exilijs; sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates debeãt coërceri. *Quin immò, si qui Episcopi sint, qui cæteris aliqua seculari dignitate præstent, ea à Pontifice deponantur. Quod, vel contra ipsos Imperatores aliàs illos præstitisse testantur historiæ, & docet* [a] *Gregorius de Valentia. Nàm à Zacharia Summo Pontifice tamquàm Regno Galliæ ineptus Childerius declaratus.* [b] *Henrici hoc nomine quarti à Gregorio vij.* [c] *ab Innocentio vij. Othones;* [d] *Federici ab Innocentio quarto;* [e] *à Clemente sexto Ludouici depositi. Itaquè Romanus Pontifex Romanis decretis inhæreat, Romana sequatur concilia, & Sanctorum Patrum fultus sententijs aliorum Romanorum Pontificum vestigijs insistẽs Sanctæ huius Romanæ Sedis auctoritatem augeat, tueatur, & foueat*. Non enim minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dũ grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. *Hanc nobis spem cõfirmat* [g] *Cyprianus:* diuinæ traditionis immemores esse non debemus, vt maiora esse furentium scelera, quã Sacerdotum iudicia censeamus; aut plùs existimemus ad impugnandum posse humana conamina, quam ad protegendum prçualet diuina tutela. *Nec minori animi magnitudine* [h] *Hilarius:* hoc quippe Ecclesiæ proprium est; quæ dùm persequitur, floret; dũ opprimitur, crescit; dùm contemnitur, proficit; dùm læditur, vincit; dùm arguitur, intelligit; tunc solùm stat, cum separari videtur. *Suffragatur Bernardus:* Non defuit genus Christianorum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eã, nec cecidit, quia fundata est super firmam petram; ità vt nec verbositate philosophorum, nec cauilationibus hæreticorũ, nec gladijs persequutorum potuerit aliquãdo separari à charitate

in c. de Lygur. 13. q. 5. in 9. loco

a q. 15. de schis. pũc. 3. in 2. 2. diui Thom. ar. 3. & 3. b 15. q. 7. c. alins, & Gedre. in vita Leo. Isaurici, Pau. diac. lib. 6. histo. Longob. c. 5. c Maria. Scot. in Chro. anno 1075. Blond. decada 2. l. 6. dc. ad apo. de sent. & re iud. lib. 6. decret. e Rob. Arbo. tom. 2. teor. 7. & alij. f Leo ĩ ser. Apost. g epis. 57. ad Corn. Papam. h de Trin. lib. 8.

in can. c. 3

Chrif.in I. ser.Mart. ritate Dei, quæ est in Christo IESV. Sic dimicarunt aduersus peccatum Sancti, sic & laborando fortiores, & moriendo victores effecti, nullus athletes sine certamine fortior dici, nullus sine victoria poterit coronari: nemo miles sine prælio hostem subiecit, nemo sine bello Imperatorem promeruit.

Te Christe summe præsulum Pastor obsecro, tuam diuinam opẽ, tuum numen imploro; vt spinarum, & tribulorum squallore resecato digna efficiamur fruge fœcundi, & fidelium tuorum votis placatus ab errorum omniũ tenebris nos eruas; ac metu omni seposito ea te duce præstemus, qua Sanctitatis illuminata splendore veræ gloriæ lucem cum æternitate consequantur.

Hæc sunt, Pater Beatissime, quæ in Episcopos Venetos, sacros Canones, Patres sanctissimos, & Concilia sequutus, notaui. Faxit Deus, vt quantùm huius sanctæ Sedis auctoritati illorũ obfuit Ecclesiasticorum Decretorum contemptus; tantùm in retinenda firmiter Christiana fide, in præceptis sacrorum Conciliorum, & Patrum decretis seruandis, in Sanctitati vestræ debita obedientia præstanda prosit communis omnium nostrum Cardinalium consensus. Meæ verò summæ ascribendum foret fœlicitati; si vt animus obsequio non defuit, ità vires respondissent voluntati.

FINIS.

